





12420

DECAS  
QVÆSTIONUM MEDICARUM  
De  
GRAVIDARVM  
CVRA.

QVAS

Sub auspicijs divinæ Trinitatis

PRAESEDE

Henningo Arnisæo

Phil. & Med. D. & Profess. & ejus-  
dem facultatis pro tempore  
Decano

In illustri Academiâ Electorali Marchicâ  
publicè ventilandas  
proponit

JOHANNES JUNCKER  
Vvaltershusanus Tyr.  
Philiater.

Ad diem 8. Februarij  
Anno 1612.

Typis Nicolai Voltzij.

Illustrissimis & Augustissimis Principibus  
ac Dominis,

D N.

# GEORGIO WILHELMO,

M A R C H I O N I B R A N D E N B U R G E N S I,  
B O R U S S I A E, J U L I A E, C L I V I A E, M O N T I U M, S E-  
D I N I, P O M E R A N O R U M, C A S S U B I O R U M, V A N-  
d a l o r u m, C r o s n æ q; & C a r n o v i æ i n S i l e s i a D u c i,  
B u r g g r a v i o N o r i n b e r g e n s i, P r i n c i p i R u-  
g i æ, C o m i t i M a r c h i æ & R a u e n-  
s p u r g i, D o m i n o à R a u e n-  
s t e i n, &c.

M a g n i f i c e n t i s s i m o A c a d e m i æ V i a d r i n æ:  
R E C T O R I.

D N. GEORGIO-R V D O L P H O,  
L I G I O - B R E G E N S I U M D U C I  
f l o r e n t i s s i m o,  
&c.


D N. C A R O L O F R I D E R I C O,  
D u c i M o n s t e r b e r g e n s i & O l s n e n s i, C o m i t i  
G l a c e n s i; D o m i n o S t e r n b e r g æ & M e s i b o r i  
i n c l y t o, &c.

Dominis suis clementissimis

H o c μελέτημα i a τρικόνο

h u m i l i t e r o f f e r t &  
c o n s e c r a t

J O H A N N E S J U N C K E R  
A u t o r & R e s p.



## Quæstio I.



Ubitatum est diu inter Medicos, Utrum Aphorismus Hippocratis, Γονὴ ἐστὶ γαστρὶ ἔχους Φλεβότομηθῆσαι λιπώσκα lib. 5. Aph. 3 i. si ne exceptione simpliciter in praxi procedat cum Cornel. Celsus alius observationibus rem hanc decidendam putet lib. 2. cap. 10. & Argenterius experientiam provocet gravidis non tantum sine periculo abortus, sed cum præsentanea salute sæpius sectam venam contendens. lib. 1. Aphor. com. Aphor. 2. Nos decisionem decerpimus ex ratione Aphorismi, quam explicat Galen. com. 6. Aphor. 3 i. Abortum enim instare ait ob subtractionem alimenti, idq; deducit ex posterioribus Aphorismi verbis, quando eò majus impendere periculum dicit Hippocrat. quò fœtus est grandior. Tunc enim copiosius desiderat alimentum, ait Galenus. Ergo si periculum sit, ut alimentum fœtui subtrahatur, abstinendum erit à sanguinis missione, ne procuremus abortum, contra quæ in juramento Hippocratis promittimus. Absq; hoc periculo positis omnibus, quæ venæ sectionem indicant, & remotis quæ contraindicant, nihil causæ est, cur tutò secare nequeamus.

## II.

Consequenter cum magnus morbus credatur indicare venæ sectionem, quæritur: Utrum ex gravi morbo laborant mulieris

A 2

mulieris

mulieri gravidæ vena sit tundenda? Simpliciter si queratur,  
simpliciter negamus, quia gravida non fert magnum auxilium,  
ut testatur Galen. s. Aph. 55. & infans non est subtractione a-  
limenti & ex consequenti spirituum debilitandus, cum ne adul-  
ti quidem pueri regulariter venæ sectionem ferant ex doctrinâ  
Galeni 4. meth. 6. 9. meth. ult. 11. meth. c. 14. 4. de rat. viet.  
tex. 19. Sed quia prudens Medicus non secat venam propter  
magnitudinem morbi sed plethorae, hac præsente & morbum  
magnum generante, qui nisi sanguine evacuato extingui non  
possit, non veremur cum Celso d. c. 10. Argent. lib. 6. de sang.  
miss. Sylvat. contr. §3. Venam aperire, quia etiam anceps re-  
medium adhibendum, ubi solum est & satius est matrem serva-  
re, quam infantem cum ipsa in certam perniciem inconsiderato-  
metu agere. Imò in plethorica abortus periculum tantoperè  
non metuendum, cum multæ per uterum sine abortu purgari  
soleant, teste Hipp. s. Aph. 60.

### III.

De purgatione ex eodem capite dubitatur, quia & ipsa  
magnum auxilium est, & quidem è amplius, quod purgantia  
plerumq; uterum moveant, cum sint diuretica & alias propter  
vicinitatem ani per quævis alvum irritantia, uterus in consen-  
sum trahatur. Nihilominus purgationem tolerat in gravidis  
Hippocr. 4. Aph. 1. & lib. 5. Aphor. 29. quia semper major ha-  
bentia est ratio ejus, quod magis urget. Si enim tali morbo cor-  
repta sit mulier, cum quo usq; ad tempus partus superesse ne-  
queat, aut si non possit à morbo nisi purgatione liberari, frustrà  
timeret Medicus auxilium anceps, cum sine eo tam fœtus,  
quam matris certum ante oculos videret exitium. Pericu-  
lam esse èmnam vacuationem in gravidis nemo negare poterit:  
sed extrema & periculosa remedia, non nisi extremis & despe-  
ratis malis applicanda.

### IV.

Siautem ad purgationem propter periculi magnitudi-  
nem.

nem deveniendum, quæritur, Utrum validis Catharticis, in-  
quorum censu repono, Scammonium, Colocynthidem, Elate-  
rium, Elleborum utrumq; Turpethum, an levioribus magis  
uti conveniat, qualia sunt manna, Cassia, Tamarind? Hæc  
enim frustrà adhiberi putat Cardanus, quod humores peccan-  
tes non educant: Illa verò ex rationibus Averrh. 7. collect.  
cap. 4. amaritie & deleteria qualitate Embryonem lœdunt, aut  
etiam interficiunt, 8. de simpl. med. fac. & de cucum. sylv.  
Tum etiam cum alvo uterus simul irritant & menstrua pro-  
vocant, & eo nomine ipsa etiam alœ & Rhabarbarum da-  
mnatur, quod illa aperiat venas, hoc moveat urinas, adeò ut urin-  
nam flayo suo colore tingat statim atque assumentum fuit. A  
mitioribus secundum præscriptum Mesuæ, semper est initium  
faciendum, si modò materiam turgentem educere possint, aut  
saltem ad illa progrediendum, quæ habentur ordinis medij,  
ut sunt Myrobalani, agaricus, sena, Iris, aut fortiorum extracta,  
quæ cum Sale vehementiam purgandi reliquerunt. Extremis  
non utendum, nisi extremo ingruente periculo.

## V.

Est tamen, ut purgantia quibusdam mensibus tutius,  
quam reliquis propinentur & Hippocrates quidem ait gravi-  
das purgandas, si materia turgeat πτεράμηνα ἀγέι επὶ μηῶν  
& constituit inter τὰ νύμα καὶ πεσθύτερα, inter medios men-  
ses, à quarto ad septimum, 4. Aph. 1. lib. 5. Aphor. 29. Galenus  
ex ratione Aphorismi comprehendit etiam tertium, i. de morb.  
vulgar. comm. 3. hist. ægröt. 13. quia fieri potest, ut fœtus fir-  
mas radices jam egerit hoc mense, & solidiori sit textura corpo-  
ris, quam imbecillior quispiam mense sequenti: Marius tamen  
cum id accidat, quartum solum inclusivè posuit Hippocrates.  
Nam post sextum & antè quartum semper sunt periculosæ pur-  
gationes, periculosiores verò post sextum, quam antè quartum,  
ut hīc addit Hippocr. quia gravatus pondere uterus medica-  
mento irritatus, facilius exurgit ad expellendam sarcinam.

A. 3.

q. 3.

quæ etiam ultrò, partim pondere deorsum vergens, partim  
critico septimi mensis motu exitum querit, cum & copiosius  
alimentum & liberiorem respirationem magnitudo corporis  
requirat. Non carent tamen & primi menses periculo, tūm.  
quia tenellis corporibus facilius nocet vis purgantium, tūm.  
quia expeditius excluduntur ab expultrice irritata, cum arcte  
uteri acetabulis nondum cohæreant, quam rationem recte affi-  
gnat Galen. 4. Aph. 1. & d. ægr. 13. Quicquid contradicat Ar-  
gent. lib. 4. Aph. 1. in fin. comment.

## V I.

Utrum verò, si par necessitas flagitet venæ sectionem &  
purgationem, hæc illi, vel è contrario præferenda sit, ex com-  
muni Medicorum decisione æstimandum relinquimus, quâ u-  
biq[ue] venæ sectionem jubemur præmittere. Laxantia verò  
vel alvum lubricantia sub purgantium classe non compre-  
hendimus.

## V II.

Utrum aliquando liceat abortum procurare dubitat  
posset propter exemplum Psaltriæ, quæ suauu Hippocratis sali-  
endo partum ejecit. Cæterum Hippocrates in juramento non  
magis subdi pessulum sinit gravidæ ad corrumpendum fœtum,  
quam lethale aliquod medicamentum propinari. Nam & sa-  
cræ literæ ut homicidam puniunt, qui fœtum vivum abe-  
git. Mortuum verò non tantùm abigere licet Medico, sed  
etiam, si medicamentis non cedat, ferro extrahere. Nec ob-  
stat, quod abortus periculosiores sint ipso partu, quia tum de-  
mùm aborruis procurandus est, si salutaris partus nullus ex-  
pectatur.

## V III.

De superfætatione dubitat Haly Abbas lib. 3. Theor. c.  
34. Utrum eam asserenti Aristoteli fidem habere debeat 4. de  
gen. anim. c. 5. & lib. 7. de hist. anim. Quia verò experientia  
subscribit

scribit Philosopho, & nemo eorum, qui contra sentiunt ex ratione aliquâ ejus impossibilitatem evincit, cur fidem nostram autoritati non adjiciamus? Nam quod os uteri ita claudi scribat Galenus, ut ne acus quidem subintrare queat, licet ad prohibendam externam injuriam à natura fieri credamus, tamen nihil obstat, quò minus præ mollitie suâ & acuto sensu in momento delectationis iterum aperiri possit, & semen de novo prolectare. Quod etiam timent, ne per apertum orificium excidat partus, frustrâ est, cum ex gemellis alterum sæpè excludi videamus, altero intus in aliquot septimanas, imò menses integros detento. Quia, qui jam conceptus est, nec ipse existit quærit, nec ab utero expellitur.

## IX.

Quod Galenus 8. de simpl. med. fac. c. de cucum. sylv. affirmare dicitur Francisco Valeriolæ lib. 1. Enarr. med. Enarr. I. Omnia amara fœtui esse inimica & matri, tūm falsò asseritur, tūm præter mentem Galeno attribuitur, cum is non loquatur, nisi de amaris valdè calidis, & quæ propter partium tenuitatem urinam & menstrua moveant. Nec enim Ciclorium & id genitus alia intubacea quicquam mali vel fœtui inferunt, vel matri, utpote etiam amygdalæ amaræ Diamargaritum utrumque, quæ tamen multa amara continent & alia. Aut an amara omnia caloris excessu talia fieri, cum Galeno d. loco credemus? an potius quibusdam eorum vim refrigerandi quoque tribuemus, cum eodem 4. de simpl. med. fac. c. 7. propter diversarum partium confusionem?

## X.

*Δυσηνίας*, ex quâ teneræ potissimum fœminæ, aut morbo aliquo debilitatæ, periclitari solent, causæ multæ a multis adferri solent, quæ tamen in duas classes præcipue distribuuntur, alijs ad fœtum relatis, alijs ad matrem. Difficulter enim prodit infans, si facultas expultrix vel in utero, vel in toto corpore morbo aliquo facta fuerit imbecillior, si uterus sit exiguus, durus,

durus, ut fibræ sese expedite nequeant contrahere, si præpostero situ detortus, aut os ejus angustum vel callosum, si ossa ilium adeò sint conserta, ut in partu distrahi nequeant, quemadmodum in vetulis accidere solet, &c. Ex parte fœtus verò nascitur difficultas partus, si ipse præ teneritate, inediâ aut quavis imbecillitate ad exitum se disponere & facultati uteri succurrere nequeat, si grandior sit, quam pro capacitatem viarum, si plures simul onerent uterum, ~~in~~ præ posterè situs sit, aut præpostero ordine ad exitum se disponat, vel anum vel ventrem, vel pedum brachiorumvè alterutrum ad egressum obvertendo &c. Dubitatur hinc inter Medicos, si difficultati huic per convenientem vietus rationem & medicamentorum tam externorum, quam internorum applicationem, nihil adferamus remedij, Ultrum ad tertium præsidium Chirurgicum sit confugiendum, & quando desperata sunt omnia, uterus Cæsareâ sectione apriendus, quod & nos improbare non possumus, cum vulnera uteri non sint absolute mortifera, & hæc sectio non raro cum matris, aliquando etiam fœtus salute administrata legatur. Modum sectionis tradit

Paulus lib. 6. c. 74. Aëtius lib.

16. cap. 23.

F I N I S.



Path. spec. 143 <sup>do</sup> =

